



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1542

VD16 C 4714

VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

PRÆCIPVI.

damnamus, Abolent enim uerum usum uerbi Dei
 & falso somniant sine uerbo Dei accipi spiritum
 sanctum, & freti suis opinionibus comminiscun-
 tur impia dogmata, & efficiunt infinitam disipa-
 tionem.

VI.

Item docent, quod cum fide reconciliamur,
 necessario sequi debeat iusticia bonorum operum,
 que Deus nobis mandauit, sicut & Christus pre-
 cepit. Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Sed
 quia tanta est infirmitas humane nature, ut nemo
 legi satisfacere possit, necesse est docere homines,
 non solum quod legi obediendum sit, Sed etiã quo-
 modo placeat hæc obedientia, ne conscientie inci-
 dant in desperationem, cum intelligunt se non sa-
 tisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non
 quia legi satisfacit, Sed quia persona est in Chri-
 sto reconciliata fide, & credit sibi reliquias pec-
 cati condonari. Semper igitur sentiendum est, nos
 consequi remissionem peccatorum, & personam
 pronunciar iustam, id est acceptari gratis prop-
 ter Christum, per fidem. Postea uero placere etiã
 obedientiam erga legem & reputari quandã
 iusticiam, & mereri premia. Non enim potest con-

b ij scientie

ARTICVLI FIDEI

scientia opponere iudicio Dei propriam mundiciem, aut opera, sicut Psalmus testatur, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens. Et Ioannes ait, Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, ut remittat nobis peccata nostra, Et Christus inquit, Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. Postquam autem persona reconciliata & iusta fide, id est, accepta est, placet & obedientia & reputatur esse quaedam iusticia, Sicut Ioannes inquit, Omnis qui in eo manet non peccat. Et .2. Corinth. i. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ.

Ac debet hæc obedientia repugnare prauis cupiditatibus & subinde spiritualibus exercitijs fieri purior, & cauere, ne quid committamus contra conscientiam, iuxta illud, Summa legis est dilectio, ex puro corde & conscientia bona, & fide non ficta. Qui uero obtemperant prauis cupiditatibus & agunt contra conscientiam, uersantur in peccatis mortalibus, nec fidei iusticiam, nec iusticiam bonorū operum retinent. iuxta illud Pauli, Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Item